

Tutamine Augustae Domus nostrae, ipsiusque Publici Commodi, devota Promptitudine consecrarunt; Neque in praemissis subistere insignes praelibatorum fidelium Statuum et Ordinum conatus, nihil utpote nunc quoque in Animis prius, nil in votis potius habentes, quam ut in Regem suum sanctam Fidem luculentis Testimonijs continuo comprobare, atque Gloriam et Felicitati Ejusdem Vitam et Bona litando, novam, eamque gratissimam sibi de Majestate nostra ac ipso etiam Publico benemerendi occasionem nancisci valeant. Quae rara omnique Commendatione digna subditalis obsequij Studia, quatenus Opere ipso ulterius contestarentur memorati fideles Status et Ordines, opportune Iisdem cesserat proposita per Fidelem Nostrum Nobis sincere dilectum, Spectabilem ac Magnificum Comitem Carolum de Batthyán, Perpetuum in Németh-Ujvár, Aurei Velleris Equitem, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banum, Comitatus Castri Ferrei Perpetuum, Simigiensis vero Supremum Comitem, Nostum Actuale Intimum Consiliarium, Generalem Campi Mareschallum et unius Legionis nostrae Dimacharum Colonellum, Banalium Regni Confiniorum Regulatio. Praelibatus namque vetustae, ac tam Sago quam Toga illustris Familiae suae Progenitorum laudabilibus Vestigijs insistens, quemadmodum ab ineunte mox aetate sua, pro ratione diversorum, quibus functus est Officiorum, tum heroici Animi, cum et eximiae in rebus pertractandis Moderationis ac Prudentiae edidit Argumenta, et in perarduis signanter postremi acerbissimi Belli Circumstantijs non parcendo Laboribus, non Impensis, infracto robore probataque Dexteritate Nostrae cumprimis Majestati, sed et ipsi Publico multifaria, eaque momentosa summo Zelo ac Studiis indefessis praestitit Servitia, partaque antehac Merita, novis iisque distinctis sane Meritis taliter cumulavit, Cuive in Consequentiam plenariae, quam de eodem habemus Satisfactionis Pignus, Nobis charissimum primo-genitum Filium nostrum legitimum Coronae Principem concedidimus, pro ea, quam habet, Rerum, tum Publicarum cum et Militarium Experientia, dictae Militiae Banalis Regni Confiniariae in magno adusque Disordine volutantis Regulationem, tum spectatis hic concurrentibus Militaribus Observationibus, cum et ipso Statu Provinciali Regni considerato, perutilem non modo, imo necessariam fore arbitratus, vix praeattactam repetitae Banalis Regni Confiniariae Militiae instituendam Regulationem Fidelitatibus Vestris proposuit, et mox Eadem salutarem hanc atque in peculiare dictorum Regnorum nostrorum Commodum unice directam praelibati Comititis Bani Intentionem, desiderata promptitudine secundarunt, et istiusmodi novae Banalium Regni Confiniorum Reformae ac Regulationi in duobus Pedestribus Regimibus et Sexcentis Equitibus, universim vero Octo mille ducentis sexaginta Capitibus consistenti, celerem non modo Manum admoverunt, verum etiam dictae modo praevio regulatae Militiae Exolutionis Onus in universam Partium illarum Contribuentem Plebem, excepta Mondura sive Vestitu Militari, tam per Officiales, quam Gregarios propriis suis Sumptibus comparando, alacri Animo assumpserunt. Quantumvis porro praeattacta Militiae hujus Banalis Regni Confiniariae Regulatio multifaria Emolumenta memoratis Regnis nostris potissimum adferat, dum videlicet melior Confiniorum Tuitio et publica ex hinc securitas procuratur, Patriae Filii ad Militaria eaque honorifica Officia applicantur, atque fixa pro futuro Stipendia percipientes, eadem demum intra Limites Regni illius denuo consumunt, eximium attamen in promotionem hic quoque subversantis summi Servitij nostri et Publici Commodum procurandum, modo praevio